

stituit, sed titulum ministerii episcopalis et magistratum Episcopi repræsentat. Ex quo patet ejus potestatem referre indolem potestatis delegatæ, quæ nempe procedit ex commissione alterius et fundatur in titulo alienæ potestatis. Hinc optime explicatur quomodo non detur appellatio a Vicario ad Episcopum, et quomodo cessat potestas Vicarii generalis, cessante potestate Episcopi. Quia nempe in Diœcesi titulus et magistratus est unus qui residet penes Episcopum, ministerium vero seu executio potestatis residet penes Episcopum et ejus Vicarium generalem. Hinc si Rom. Pontifex vel s. Congregationes executionem rescripti committant Episcopo, tunc solus Episcopus exequi poterit rescriptum, si vero dirigant Ordinario loci, tunc exequi potest rescriptum vel Episcopus vel Vicarius gen. quia in exercitio jurisdictionis Vicarius repræsentat potestatem Ordinarii in Diœcesi. Igitur jurisdictio Vicarii generalis de ordinaria simul et de delegata jurisdictione participat.

22. Quæstio 3<sup>a</sup>. An Episcopus possit plures Vicarios generales constituere? — Dicimus 'generales', idest qui vocantur in partem sollicitudinis episcopalis in tota Diœcesi. Nam Vicarius non dicitur generalis qui pro aliqua parte Diœcesis constituitur, licet mandatum habeat generale quoad illam Diœcesis partem. Hinc Vicarius hujusmodi non posset executioni mandare Litteras apostolicas, quemadmodum censuit *S. Congr. in una Nullius* diei 22. Dec. 1628. Quod si vero Episcopus duabus Diœcesibus æque principaliter unitis præsit, pro unaquaque Diœcesi suum ac distinctum Vicarium generalem constituere potest; immo aliquando etiam debet, et cogi potest ut constituat distinctos Vicarios generales. Ita resolvit *s. Congr. Episcoporum et Regul. in Sutrina* diei 7. Junii an. 1594. et *s. Congr. Conc. in una Gerundinen. et Cariaten.* diei 2. Octobris 1706.

23. His positis, in præsentis quæstione triplex hypothesis fieri potest: 1<sup>a</sup>. si dividantur negotiorum genera, et ex. gr. uni Vicario committatur jurisdictio contentiosa, alteri autem voluntaria. 2<sup>a</sup>. Si in solidum jurisdictio omnis committatur singulis, ita ut detur locus præventioni. 3<sup>a</sup>. Si jurisdictio collegio Vicariorum committatur, ita ut negotia explere collegialiter teneantur. Quoad 1<sup>am</sup>. hypothesis jam vidimus praxim inductam fuisse in aliquibus regionibus ut Officialis daretur et Vicarius generalis, et prior jurisdictionem contentiosam idest partibus citatis et in forma judiciali exerceret, alter præesset negotiis extrajudicialibus et jurisdictionem volun-

tariam exequeretur. Profecto hæc praxis a jure non reprobatur; bene vero non plenissime aptatur intentioni juris. Nam in jure præsertim Tridentino sermo est non de Vicariis sed de Vicario generali Episcopi. Conferri potest Bened. XIV. *De Syn. Diœc. Lib. 3. cap. 3. n. 2.*

24. 2<sup>a</sup>. Hypothesis nec ipsa expresse reprobatur a jure communi. Nam nullam legem ecclesiasticam habemus, quæ illam excludat. Verum nec ipsa intentioni juris plenissime respondet. Jus enim de uno Vicario generali loquitur. Cæterum ubi adsit consuetudo, ut, præsertim ob multitudinem negotiorum, duo aut plures constituentur Vicarii, qui negotia omnia possint explere, et ille videat, qui prior est, idest qui præoccupaverit negotium, condemnari non debet. Ita tenuit *s. Congr. Conc. in Lancianen.* 23. Martii 1599. et 21. Februar. 1614. Ratio autem est tum quia Jus canonicum in specie judicum delegatorum admittit casum commissionis in solidum, tum quia hæc consuetudines cognitæ sunt legislatori supremo, et eas non reprobatur, immo quandoque positive approbat. Romæ enim expediuntur litteræ Apostolicæ 'Episcopo et Vicariis ejusdem in spiritualibus constitutis'. Quare concludit doctissimus antecessor noster *De Angelis h. t. n. 9.* 'Hodie solet ita a juristis solvi hæc quæstio, scilicet: ubi consuetudo jam viget, jus patitur ut plures Vicarii in solidum constituentur; at ubi hæc consuetudo non est, non permittitur introduci'.

25. 3<sup>am</sup>. Hypothesim inspicientes, eam a jure difformem videri dicimus. Nam quamvis negotia peculiaris, et causæ singulares melius et tutius a collegio personarum pertractentur et definiantur; tamen non idem videtur contingere in universalitate causarum, et in generali negotiorum gestione. Ubi enim omnia negotia ab omnibus cognosci et videri debeant, ob opinionum differentiam, et ordinariam desidiam in rebus communibus gerendis, facile consequitur, negotia in expeditione retardari. Quare licet cum de uno alterove negotio agitur, illud facile committitur videndum et explendum collegio personarum; cum vero agitur de generali jurisdictione exercenda, et ordinaria negotiorum administratione gerenda, uni personæ solet committi. Exemplum habemus in præscriptione Concilii Tridentini de regimine Diœceseos, sede episcopali vacante. Conc. enim *sess. 24. c. 12. de Ref.* voluit, ut in rebus spiritualibus regimen et administrationem Diœceseos non Capitulum sed Vicarius electus ab eodem Capitulo exerceret.

26. De qualitatibus Vicarii generalis. — Prima qualitas est ut sit saltem Clericus, idest primam habeat tonsuram. Nam sufficit status clericalis ut quis fiat capax ecclesiasticæ jurisdictionis. Hinc non potest Episcopus laicum sibi eligere in Vicarium generalem, quia laicus incapax est ecclesiasticæ jurisdictionis *c. 2. de Judiciis*. Potest vero Episcopus laico committere munus adessoris vel Consultoris in suo tribunali, ut nempe referat ea quæ sunt juris, non autem ut, præsertim in Clericos vel in causas ecclesiasticis, sententiam pronunciet. Clericus vero, ut in Vicarium adsumatur 1º. saltem debet esse constitutus in ætate 24. anni completi; eo quod ad curam spiritualem in Diœcesi exercendam assumitur, et in jure receptum est, ut infra illam ætatem Clericus non assumatur ad beneficium curatum *cap. 7. § 'Inferiora' De Elect. et Sess. 24. c. 12. de Ref.* in Concilio Tridentino. 2º. Esse non potest conjugatus, licet habitum et tonsuram deferat: *s. Congr. EE. et RR. in causa Tregurien. 11. Septemb. 1612.* — 3º. Non sit bigamus, nisi defectus sui dispensationem fuerit assecutus. Bigamus enim ex *cap. un. de Clericis Conjug. in 6.* censetur exutus ab omnibus privilegiis clericalibus. — 4º. Debet esse vel doctor vel licentiatus in jure Canonico, aut alias, quantum fieri potest, idoneus. *Arg. cap. 16. sess. 24. de Ref.* in Tridentino. Ex hac mente Conc. factum est ut *s. Congr. EE. et RR. in quæstionibus ad eam delatis super idoneitate Vicarii generalis, Episcopis solita fuerit præcipere ut doctorem ad hoc officium assumerent, licet aliquando permiserit, ut Clericum academicis gradibus destitutum sibi Vicarium haberent.*

27. Quoad regulares, conveniunt auctores, fratres ex ordine mendicantium excludi ab officio Vicarii generalis. *Clem. 1. de Reg. § 'Ad prioratus'*, ubi ait Pontifex 'Ad prioratus quoque administrationes aut quæcumque in antea non assumi officia etiam tamquam Vicarios seu ministros'. Hæc vero dispositio saltem ex praxi ad omnes regulares extenditur; cum ex Decretis Clementis VIII. *De Reformatione Regularium § 32.* invaluerit principium 'Regulares extra claustra monasterii sui absque licentia Sedis Apostolicæ degere non posse'.

28. Ex resolutione autem *s. Congr. Conc. diei 3. Febr. 1685.* (rel. XLII. 29.) non potest assumi ad officium Vicarii generalis dignitas aut canonicus ecclesiæ Cathedralis cui adnexa est cura animarum. Hinc in genere dici potest, parochum Vicarii generalis

munere fungi nequire. Ratio est: quia parochus potitur officio quod assiduam assistentiam et operam exigit. Ob eandem rationem nec Canonicus pœnitentiarius videtur deputari posse ad officium Vicarii generalis.

29. Quidam porro auctores arbitrantur Vicarium generalem eligi non posse ex Clero Diœceseos, sed esse eligendam personam extraneam ab eadem. Certum est jure antiquo, Vicarium generalem non solum fuisse de Clero Diœceseos, sed immo fuisse de ipso Clero Cathedralis, videlicet Archidiaconum. Pariter Tridentinum non præscripsit extraneum esse eligendum. Sed plerumque factum est ut extraneus eligeretur. *Card. de Luca in Adnotat. ad Concil. Trid. Discurs. 31. n. 14.* exponit praxim *S. Congr. EE. et RR. 'a qua'*, ait, 'quando recursus habentur, demandari solet Episcopo, ut teneat Vicarium generalem doctorem et non diœcesanum'. Item *Lucius Ferrarius in Bibliotheca Canonica v. 'Vicarius generalis'* plures resolutiones affert *s. Congr. Concilii* quæ viderentur ostendere necessitatem assumendi personam extraneam ad officium Vicarii. Qua in re animadvertimus, opportunum quidem esse ut persona extranea assumatur in Vicarium, ne in causis definiendis et in ministerio præsertim disciplinari exercendo aliquo modo Vicarius trahatur a motivis sanguinis et necessitudinis familiæ et generis sui; verum id non procedere ex stricto jure. Nam nullibi habemus expressam hac super re dispositionem juris. Praxis autem citata a *Card. De Luca* et resolutiones a *Ferrario* allatæ respiciunt casus speciales in quibus præcipitur Episcopo ob odium Vicarii Diœcesani et ob loci peculiare conditiones, ut extraneum Clericum eligat. Ita ex. gr. recentiori ævo, nempe mense Februar. an. 1859. factum est in una Terracinen.; in qua a *s. Congr. Conc.* injunctum est Episcopo ut in Vicarium generalem Terracinensem eligeret virum extraneum a tribus Diœcesibus unitis quibus ipse præerat, ob rationem cujusdam pacti, quo municipium se obligaverat ad pensionem præstandam Vicario dummodo esset extraneus. Quapropter mos incæpit invalescere, ut eligeretur in Vicarium vir etiam ex Diœcesi, quique solet appellari 'Provicarius generalis'.

30. De potestate Vicarii generalis. — Potestas Vicarii generalis induit naturam jurisdictionis ordinariæ; quare eo ipso quod aliquis constituatur Vicarius generalis, vi officii sui acquirit potestatem ordinariam administrationis Diœceseos. Hæc potestas dici-

tur procedere ex generali mandato. Quare generale mandatum nihil aliud est, quam ipsa deputatio personæ ad munus Vicarii generalis gerendum. Verum potest etiam aliquod jus, seu facultatem assequi ex speciali commissione Episcopi. Primum ergo videndum est quid possit et quid non possit Vicarius gen. ratione officii sui seu vi generalis mandati. Commemorandum præ primis est Vicarium gen. esse Vicarium jurisdictionis, hinc mandatum generale complectitur exercitium potestatis jurisdictionis, non vero potestatis ordinis episcopalis: Hinc quamvis Vicarius generalis caractere episcopali muniretur, non posset vi accepti mandati sacrum Chrisma conficere, sacram ordinationem habere, pontificalia peragere atque alia ordinis episcopalis, nisi constitutus esset etiam Vicarius in divinis seu pontificalibus, quemadmodum contingere solet quando titularis Episcopus assumitur in auxiliarem Episcopi Diocesani, qui etiam appellatur Suffraganeus. Ad potestatem ergo jurisdictionis sermonem coarctamus, quæ et facultatem causas judicialiter decernendi complectitur et regimen spirituale quod sine forma iudicii exercetur.

31. Qua in re quoniam Vicarius generalis in Diœcesi est Ordinarius, et idem cum Episcopo auditorium seu tribunal constituit, sequens regula et principium ab auctoribus proponitur 'Vi generalis mandati potest Vicarius ea omnia negotia exequi quæ Episcopus potest, nisi vel a jure excipiantur expresse, vel adeo gravia existimantur ut præsumatur Episcopus noluisse ea peragi absque sua scientia et iudicio'. Etenim in *Reg. 81. Juris in 6.* 'In generali concessione non veniunt, quæ quis non esset in specie verosimiliter concessurus.' Et ipsæ leges civiles nobis offerunt exemplum in procuratore qui ad universalitatem negotiorum solet constitui; quique alienare, donare et beneficio renunciare nequit. Quare ut limites potestatis vicariatus dignoscantur, determinandi sunt casus, quos ab eadem potestate vel excipit jus in specie, vel excipiendi sunt ob eorum gravitatem ex intentione juris.

32. 1º. Quamvis ex cit. *c. 2. h. t. in 6.* in Vicarium per commissionem generalem officii causarum cognitio transferatur, tamen generatim causas criminales videre et decernere non potest absque speciali mandato. Nec pœnas privationis a beneficiis, officiis et administrationibus alicui potest applicare cit. *c. 2. h. t. in 6.* et *c. 20. sess. 24. de Ref.* in Trid. Verum Vicarius potest in crimina inquirere ut referat Episcopo vel etiam ut remediis disciplina-

ribus cohortationis nempe vel minarum vel etiam levium pœnarum a criminibus deterreat, et scandala removeat. Ita Doctores innixi *L. ult. in fin. ff. De Off. ejus cui mandat. est jurisd.* juxta quam omnis jurisdictionis præsertim ordinaria ut efficax sit in sui exercitio, aliqua saltem moderata coërcitione indiget. — 2º. Nec absque speciali commissione videre et decernere potest Vicarius causas matrimoniales, quia in cit. loco eas Conc. Trid. Episcopo reservavit. 3º. Nec beneficia conferre potest *c. ult. h. t. in 6.* nec beneficia unire aut suppressere; uno verbo non potest mutare conditionem beneficiorum aut ecclesiarum; nec recipere renunciaciones beneficiorum ob rationem contrariorum. Potest vero Vicarius instituere in beneficio Clericum præsentatum a patrono. Institutio enim censetur in jure actus necessitatis et justitiæ. *c. 3. De Instit. et Glossa ibi.* — 4º. Nec Clericis potest litteras dimissoriales concedere ad ordines suscipiendos *c. 3. de temporib. Ordinat.* Excipitur casus quo Episcopus in longinquis regionibus versetur. — 5º. Synodum convocare aut Diœcesim visitare non potest. — 6º. Non potest dispensare in irregularitatibus ex crimine occulto, quarum dispensatio a Conc. Trid. *sess. 24. c. 6.* tribuitur Episcopo ita ut eam concedant 'per seipsos aut per Vicarium ad id specialiter deputandum'. Nec potest dispensare in votis, juramentis aut legibus, in quibus Episcopus dispensare potest. Hæc enim omnia induunt speciem remissionis et gratiæ, quæ in generali mandato non continentur. At si præsertim ex casuum frequentia in hisce et aliis similibus rebus, sciente et tacente Episcopo, introducatur consuetudo, qua Vicarius dispenset et procedat, poterit hæc consuetudo eam vim habere ut quædam negotia sub dispositione mandati generalis constituat. — 7º. Nec potest absolvere a casibus Episcopo reservatis arg. *c. 2. De pœn. et remis. peccat. in 6º.* nec in casibus procedere in quibus Episcopus procedit tanquam Sedis Apostolicæ delegatus. Cfr. in hac materia *Ferrari Bibl. Can. v. Vicarius gen. art. 2.* Potest vero Episcopus potestatem suam delegare per speciale mandatum Vicario, excepta tamen absolute a crimine hæresis, quæ soli Episcopo reservatur ex dispositione Conc. Trid. *sess. 24. cap. 6. de Ref.*

33. Porro speciale mandatum duplex esse potest: scilicet aliud est quod data occasione Episcopus Vicario suo tribuit ad aliquod peculiare negotium peragendum, aliud quod post deputationem personæ ad officium Vicarii generalis, eidem Episcopo tradit per

folium scriptum in quo facultates designantur, quas idem Episcopus Vicario tribuere intendit. Quoad primum mandatum nulla difficultas oriri potest; nam Vicarius mentem mandantis cognoscit ex commissione sibi data, et unice debet cavere, ne limites obtentæ facultatis excedat.

34. Si sermo sit de mandato speciali secundi generis, pauca sunt animadvertenda. 1<sup>o</sup>. Equidem potest Episcopus sibi reservare quædam negotia, quæ Vicarius posset peragere vi mandati generalis. At moderatio hac in re adhibenda est, ne potestas Vicarii, quæ ceteroquin a jure procedit, inanis et quasi illusoria reddatur. 2<sup>o</sup>. Ita debet concipi speciale mandatum, ut non destruat mandatum generale. Scilicet limitatio facultatum ita debet fieri, ut semper remaneat generalis facultas administrandæ Dioceseos, secus enim immutaretur indoles officii, et qui debet esse Vicarius a jure recognitus, redderetur simplex personalis delegatus Episcopi. 3<sup>o</sup>. Ex *c. 4. de procurat. in 6. et Reg. 81. Jur. in 6<sup>o</sup>*. non censetur data facultas Vicario agendi ea quæ requirunt speciale mandatum, quamvis in concessione generali dictum fuerit posse Vicarium expedire ea quæ requirunt speciale mandatum. Nam in cit. locis juris hæc clausula ceu nimis generalis habetur. In iis autem quæ exorbitant a jure clausulæ generales nihil operantur. Ita Doctores. Quod si in mandato aliquod peculiare negotium nominetur, et adjiciatur clausula 'cum cæteris quæ requirunt speciale mandatum', poterit Vicarius negotia expedire sive ejusdem momenti sive minora, non autem graviora. *Cit. c. 4. de Proc. in 6. et Clem. 2. de Proc.*

35. Cum Vicarius gen. eandem habeat jurisdictionem cum Episcopo, ac idem tribunal, cessat ipso facto et absque juridica declaratione potestas Vicarii illis omnibus modis, quibus cessat potestas Episcopi illum constituentis. Hinc morte Episcopi, renunciatione ejusdem acceptata a Superiore, translatione, et morte civili Episcopi, finitur jurisdictio Vicarii. Ob eandem rationem si suspendatur jurisdictio Episcopi, suspenditur etiam jurisdictio Vicarii. Ex. gr. si Episcopus excommunicatus aut suspensus existat. Verum, pendente suspensione jurisdictionis episcopalis, Vicarius generalis potest exequi litteras apostolicas sibi commissas. Ratio est: quia ipse habitu remanet Vicarius, et in exequendis litteris apostolicis non utitur potestate Episcopi, sed potestate summi Pontificis. Cfr. *Corradus De Dispens. L. 7. c. 4. n. 47.* — 2<sup>o</sup>. Cum jurisdictio

Vicarii non sit adnexa alicui titulo perpetuo nec institutionem canonicam secumferat, sed procedat ex nominatione et mandato Episcopi, cessat per revocationem mandati. Qua in re adnotandum est 1<sup>o</sup>. revocationem hanc faciendam esse ex rationabili causa, ne lædatur honor Vicarii, ita ut secus dari possit reintegratio, ceu tenuit *s. Congr. EE. et RR. in Spalaten. diei 3. Julii 1610. et in Trecoren. diei 8. Octobr. 1649.* 2<sup>o</sup>. Revocationem hanc esse intimandam Vicario ipsi, nec sufficere simplicem voluntatem Episcopi aliis etiam manifestatam. Ex præfata notione sequitur etiam, posse Vicarium vel expresse vel tacite renunciare officio suo, nec necesse esse ut renunciatio acceptetur ab Episcopo.

36. De præeminentia honoris Vicarii generalis. — De hac materia fuse pertractat *Jacobus Pignatelli tom. 3. Consult. 64.* et non paucas refert ss. Rituum Congregationis, et S. Congr. Conc. responsiones. Præ primis vero hic auctor n. 3. et 10. ex communi sententia Doctorum statuit sequens principium: Vicario generali etiam præsentate Episcopo præequentiam publice privatimque competere in omnibus actibus ac locum eminentiorem super quibusvis Dignitatibus et Canonicis; ipse enim est Superior et habet post Episcopum jurisdictionem super omnibus. Roborat autem hanc regulam responsione *s. Congr. in una Montis Regalis 20. Aug. 1586.* Ut autem expositum principium melius intelligatur, præstat aliquas exhibere *s. Congr. resolutiones*, quas idem auctor refert. Et primo quidem Vicarius generalis præcedit Dignitatibus et Canonicis, qui incedunt in habitu ordinario canonicali. Ita in Nolana et Lauretana 25. Martii 1610. Eisdem insuper præcedit Vicarius licet incedant in habitu protonotarii. Ita in Brundusina 16. Julii 1605. Non præcedit vero Vicarius Dignitates et Canonicos qui vestibus sacris, idest sacris paramentis induti ministrant. Ita S. R. Congr. in Egitanien. diei 3. Aug. 1602. et in Lauretana diei 7. Septemb. 1603. et in aliis resolutionibus. Ut autem Vicarius in Choro et in processionibus præequentiam habeat, habitu vicariali indutus esse debet. Ita in resol. S. R. Cong. diei 11. Maji 1641. et in una Civit. Plebis diei 26. Aug. 1645. Præterea præequentiam obtinet Vicarius, dummodo ipse non sit Dignitas vel Canonicus Ecclesiæ, sin minus nolit tanquam Dignitas vel Canonicus in choro assistere, distributiones quotidianas lucrandi causa. Quia si velit distributiones percipere, tunc sedere debet in stallo seu loco suæ dignitatis vel canonicatus. Ita eadem *s. Congr. in una Civit. Pennæ*

diei 12. April. 1603. Insuper animadverti debet, absente vel impedito Episcopo, in sacris functionibus peragendis subintrare primam Dignitatem Capituli, non vero Vicarium generalem qui solummodo potest præesse, ut omnia suo ordine procedant. Ita resolvit in pluribus quæstionibus sibi propositis s. Congr. EE. et RR. Ita in Turitana 14. April. 1592. in Spoletana diei 22. Decem. 1611. et in aliis.

#### De Eminentio Cardin. Vicario Generali Romani Pontificis in Urbe, ejusque districtu.

37. Occasione c. 5. h. t. hæc tractatio proponitur. Soliti fuerunt Romani Pontifices in eorum absentia aliquando in civilibus et in ecclesiasticis negotiis, aliquando solummodo in negotiis ecclesiasticis Romæ relinquere proprium Vicarium cum amplissimis mandatis. At præter hosce Vicarios soliti fuere RR. Pontifices habere et revera constanter habent Vicarium qui eosdem non quoad regimen universalis Ecclesiæ, sed qua Episcopus Romanos repræsentat, cum plena jurisdictione episcopali exercenda sive præsentem sive absentem Romano Pontifice pro tempore. Antiquitus munus Vicarii in Urbe committebatur aliquando etiam alicui Episcopo. At Paulus IV. in Consistorio diei 18. Nov. 1558. edidit decretum, quo statuit, hoc munus alicui s. R. E. Cardinali conferendum esse.

38. Porro Urbanus Vicarius non solum est Vicarius jurisdictionis, sed etiam Vicarius in divinis. Hinc 1º. exercet etiam munia episcopalia. 2º. Ejus jurisdictionis censetur ordinaria. Hinc non cessat morte Pontificis, sed etiam sede vacante perseverat. 3º. Quamvis ex dispositione c. 5. h. t. videatur concludi inter mœnia Urbis Romæ; tamen hodie de jure protenditur ad quadragesimum ab Urbe lapidem. Verum ab hac jurisdictione excipiuntur loca, quæ quamvis hoc perimetro quadragesimi lapidis contineantur, aliis vero Diocesisibus subjacent. Const. '*Romanæ Curie*' 22. Decemb. 1755, quæ est 115ª. Bened. XIV., § 21. Præterea cum ex Const. Innocentii XII. '*Romanus Pontifex*' 17. Septemb. 1692. jurisdictionis Cardinalium in suis titulis coarctata fuerit ad servitium Ecclesiæ et ad internam disciplinam ecclesiasticam, factum est ut tituli cardinalitii populo separato carerent. Quare cessavit jurisdictionis quasi episcopalis Cardinalium in propriis ecclesiis, et jurisdictionis Cardinalis Vicarii extensa est ad totam Urbem. 4º. Licet vicario

nomine, tamen ad instar Ordinarii Diocesani, ea omnia gerit Cardinalis, sive quoad potestatem ordinis, sive quoad potestatem jurisdictionis, quæ gerit Episcopus in sua Diocesi. Excipitur visitatio pastoralis, quæ speciali Congregationi commissa est, cujus præfecturam sibi reservat Rom. Pontifex, et excipitur collatio beneficiorum, quæ reservata est S. Sedi vel Cardinalibus in suis titulis. 5º. Ex Const. insuper Pauli III. an. 1542. quæ est de facultatibus Ordinariis Cardinalis in Urbe Vicarii, quæque est n. 36. in *Bullario Cherubini* § 10. potest Cardinalis Vicarius cum Clero Romano Synodum Diocesanos Romanæ convocare et celebrare. — Cardinalis Vicarius habet vices gerentem caractere episcopali decoratum, qui ad vitam eligitur. Hic eundem coadjuvat ab eoque dependet.

#### De Vicario foraneo.

39. Vicarius foraneus sic appellatur quia extra civitatem tituli episcopalis in pagis constituitur. Vicariorum foraneorum origo antiquissima est, et ad Chorepiscopos ab Auctoribus refertur. *Cfr. Juenin 'De sacramentis' Dissert. 9. quæst. 2. cap. 4.* Chorepiscopi, idest Episcopi agrorum, ceu notat *Ferrandus Diaconus* in '*Breviario*' c. 79. non erant nisi Vicarii Episcopi, qui sub ejus dependentia alicujus pagi aut districtus gubernium spirituale exercebant. Ex institutione erant simplices presbyteri, quibus proinde licet concederetur facultas conferendi minores Ordines, non excluso Subdiaconatu, qui tunc minor ordo erat, interdicebatur autem collatio ordinum majorum, et confirmationis, nec non consecratio Ecclesiæ vel altaris. *Can. 4. dist. 68.* Unde cum voluerint sibi assumere ea quæ sunt Ordinis episcopalis, reprobati sunt a Damaso in Epist. ad Episcopos Africa quæ refertur in *can. 5. ejusdem dist. 68.* Verum historiæ documenta evincunt, aliquando in officium Chorepiscoporum fuisse assumptos aliquos qui caractere episcopali muniabantur. Quod contigit vel cum in æstu persecutionum Episcopi a suis sedibus pellerentur, vel cum ab hæresi vel schismate redirent, vel post patratum crimen dejecti a suis sedibus ad bonam frugem converterentur. Conc. Nicænum can. 8. statuit ut qui Episcopi Novatiani ad Ecclesiam redirent ab Episcopo loci admitterentur sive ad officium Presbyteri, sive ad officium chorepiscopi.

40. Auctoritate vero sua abutentibus Chorepiscopis, cœpit minui gradus Chorepiscoporum, donec medio circiter sæc. X. penitus

in Occidente extinctus est. De Chorepiscopis agit Bened. XIV. *De Syn. Diœc. Lib. 3. cap. 3. n. 6.* Chorepiscopis successerunt Archipresbyteri vel Decani rurales, qui regiunculis præerant in Diœcesi, quique præsertim vigilantiam exercebant in plebanos et clericos sibi subjectos, quos in aliquibus Diœcesibus singulis mensibus coram se congregabant veluti in ruralem Synodum, quemadmodum statutum fuisse legimus in Conc. Coloniensi an. 1266. can. 14. et in Conc. Excestrensi anni 1287. can. 31.

41. Archipresbyteris vel Decanis ruralibus succedere Vicarii foranei. De hisce loquitur Innocentius IV. in *c. 1. de Off. Ordin. in 6.* Sed expressius Clemens V. in *Clem. 2. De Rescr.* Ex quo capite eruitur hosce Vicarios habuisse jurisdictionem circa aliquas causas, et ab eorum sententia appellari potuisse ad tribunal Episcopi. Verum ex hodierna praxi adeo limitata est horum Vicariorum potestas, ut vi officii et mandati generalis jurisdictionem forensam amiserint, et solummodo exerceant vigilantiam circa vitam et mores Clericorum et legum ecclesiasticarum observantiam, et præsertim circa observantiam dierum festorum, de quibus rebus referunt ad Episcopum; nec non modicam habent jurisdictionem circa causas Clericorum quæ œconomice pertractantur. Quandoque vero ab Episcopo eisdem confectio processuum in causis criminalibus committitur, et alia mandantur gravia locorum negotia expedienda.

Vicaria foranea jure communi non est adnexa alicui beneficio. Hinc Episcopus potest eligere sibi Vicarium foraneum, qui non sit parochus, quique licet jus non habeat ut vocetur ad Synodum, tamen si vocetur, tenetur accedere. Cfr. *Bened. XIV. De Syn. Diœc. l. c. n. 10.*

#### De Vicario Capitulari.

42. Inspeximus regimen Diœceseos sede plena, quod Episcopus exercet per se et per Vicarios suos; nunc inquirimus quomodo sede vacante consulat jus canonicum eidem regimini. Antiquitus curam Diœceseos vacantis suscipiebat Episcopus vicinior, ceu ex allatis documentis historicis probat Bened. XIV. *De Syn. Diœc. Lib. 2. c. 9.*; jure autem Decretalium relato in *capp. 11. et 14. De Majorit. et Obed.* sede vacante Capitulum Cathedralis Ecclesiæ succedebat Episcopo in ordinariam administrationem Diœceseos, quam sive per se sive per aliquem deputatum exercebat. Concilium vero Tridentinum *c. 16. sess. 24. de Ref.* statuit ut vacante sede episco-

pali, Capitulum præter œconomum qui res temporales et proventus administret, si fructuum percipiendorum munus ei incumbat, infra octo dies ab accepta notitia vacationis teneatur eligere Vicarium vel confirmare Vicarium existentem Episcopi, ita ut si negligens fuerit, suppleatur negligentia capituli per superiorem. Idest si Ecclesia fuerit suffraganea, ad metropolitanum devolvitur deputatio Vicarii Capitularis; si fuerit exempta, devolvitur ad Viciniorum; si metropolitana, devolvitur ad antiquiorem ex suffraganeis Episcopis. Quod si vero simul vacet Ecclesia metropolitana et suffraganea, negligente Capitulo hujus suffraganeæ, deputatio Vicarii non ad Episcopum antiquiorem provinciæ, sed ad Capitulum metropolitanum spectat: quemadmodum s. Congr. Conc. interrogata resolvit die 28. Aug. 1683. et die 14. Apr. 1685. Cfr. *Bened. XIV. l. c. n. 2.* Interim vero quoadusque Vicarius capitularis non fuerit electus, actus administrationis Diœceseos a Capitulo perficiuntur, penes quod residet jurisdictio diœcesana.

43. Porro Capitulum non potest eligere suum Vicarium, quando, vivente adhuc Episcopo, S. Sedes ipsa deputaverit Vicarium generalem, vel administratorem Diœcesi adsignaverit. Persona enim designata ab Apostolica Sede, mortuo Episcopo, conservat officium suum, et tamquam Vicarius capitularis, perdurante vacatione Sedis Episcopalis Diœcesim gubernat. Ratio est: quia S. Sedes manus apposuisse censetur in administratione Diœceseos, et inferiori non licet personam a Summo Pontifice delegatam ab officio remove, et alteram eidem subrogare. Ad rem faciunt resolutiones s. Congr. *EE. et RR. in causa Aquilana* 4. Aug. 1578. relatæ a Card. Bizzarri in *Collectanea pro usu secretariæ ejusdem Congr. p. 236.* et in *causa Livienti* 22. Dec. 1628. *cit. op. pag. 256.* et in aliis causis in eodem opere relatis.

44. Præ oculis etiam habenda est *Const. Bened. XIV. 'Quam ex Sublimi'* diei 8. Aug. 1755. in qua 1<sup>o</sup>. statuit ut Vicarii Apostolici in locis missionum, qui carent coadjutore cum futura successione, sibi Vicarium generalem sive ex Clero sæculari sive ex Clero regulari constituent, qui eveniente Vicarii Apostolici obitu, jura omnia Vicarii Capitularis ipso facto acquirat, et Vicariatum ordinaria potestate gubernet, quoadusque ab Apostolica Sede non fuerit novus Vicarius Apostolicus constitutus. 2<sup>o</sup>. Deveniens Pontifex ad Archiepiscopos et Episcopos ordinarios locorum et residentiales, distinguit inter hypothesim qua Episcopus habet suum Capitulum,